[illegible]

Executoriales
Inter
AA. RR. DD. Parochos
&
Universos Regulares

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

Bibliothecae Eremi Vigrensis
PP.rum Camaldulensium Montis Coronae
Eremitarum. —

LITERÆ EXECUTORIALES

Trium Conformium

SENTENTIARUM

Romæ latarum,

in Causa

Inter AA. RR. DD. Parochos,

& Universos Regulares

DIÆCESIS VILNENSIS.

Ab Anno MDCCXXIX. agitata,

& Anno Præsentæ MDCCLI.

terminata,

Occasione Prætense

PORTIONIS CANONICÆ.

Libri Eremitarum Camaldulensium in Vigry 1789

E.I.23

SErenissimo, Potentissimo, Invictissimo Principi, ac D. Don AUGUSTO Divinâ favente Clementiâ Poloniæ Regi, Mag: Lithvaniæ Duci, aliorumq; Dominiorum Vestrorum, felicis prosperitatis incrementum. Nec non Illustrissimis & Reverendissimis DD. in Christo Patribus, & Dominis, Don Nuntio pro Smo D. N. PAPA, Sanctaq; Sede Apostolica in R. P. residenti, Episcopo Vilnensi, dictoq; Episcopatui, Archi Episcopis, & Episcopis Vicinioribꝰ, eorūq;, & cujuslibet ipsorum, RR. DD. Auditoribus, Loca tenentibus, Officialibus & Vicariis in Spiritualibus Generalibus. Universis quoq; & Singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archi-Diaconis, Thesaurariis, Sa-

 cristis,

cristis, cæterisq; Dignitatibus tàm Cathedraliũ, quàm Collegiatarum Canonicis, Præsbyteris Clericis, Notarijs, & Tabellionibus Publicis quibuscunq; per Civitatem, & Diœcesim Vilnensem, & aliàs ubilibet constitutis, & existentibus, & præsertim R. D. *Josepho Ponikwicki*, Parocho Novogrodensi, ac Clero Sæculari Civitatis, & Diœcesis Vilnensis ex adverso Principalibus, omnibusq; alijs, ad quos spectat, & pertinet, aut spectare & pertinere poterit in futurum, illiq; vel illis, ad quem, vel ad quos Præsentes Nostræ, imò veriùs Apostolicæ Literæ diriguntur, pervenerint, aut præsentabuntur, quibuscunq; Nominibus censeantur, & quacumq; præfulgeant Dignitate.

ALOYSIUS MATTHÆI

J. U. D. Sanctissimi Domini Nostri Papæ Capellanus, ac ipsius, S. Palatij Apostolici Causarum, & Sacræ Romanæ Rotæ Auditor, Causæq; infrasciptæ Judex Commissarius, Apostolicâ Authoritate specialiter Electus, & Deputatus, salutem in Domino, & in Commissis diligentiam

face-

facere, Nostrisq; hujusmodi, imò veriùs Apostolicis firmiter obedire mandatis.

Noveritis quod excitatis per supradictum R. D. *Josephum Ponikwicki* Parochum Novogrodensem irregulari,& violenti actu contraRR.PP. Inclyti Ordinis Prædicatorum Novogrodenses patratô omnibus Parochis Civitatis, & Diœcesis Vilnensis ad Quartam sibi ipsis arripiendam Funerum eorum Cadaverum, qui in suprascriptorum, & aliorum Regularium ejusdem Diœcesis & Civitatis Ecclesijs sepulturam selegissent: res deducta, fuit decidenda ad Reverendissimum Officialem Ecclesiasticum Viln: qui Parochis per sententiam adhæsit, sed devolutâ Judiciali contentione in gradu Apellationis per prædictos Regulares interpositæ ad R.P.D. Cincium Cameræ Apostolicæ Locum tenentem, iste revocando sententiam de Partibus, Juris ordine servatô, aliam favore Regularium sub die 26. Februarij 1749. promulgavit sententiam definitivam tenoris sequentis, videlicet.

CHRI-

CHRISTI Nomine Invocato,

PRo Tribunali ſedentes, & ſolum DEUM præ oculis habentes per hanc Noſtram definitivam ſententiam, quam de Juris peritorum conſilio in his ſcriptis ſerimus, in Cauſa, & Cauſis, quæ primò, & in prima coram Reverendiſſimo Domino Vicario Generali, ſeu Officiali Curiæ Epiſcopalis Viln: ſecundò & in ſecunda, ſeu alia veriori coram Nobis in Judicio petitorio infraſcriptis Actoribus reſervato ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D.A.C. Guglielmo Noſtro in hoc Tribunali Anteceſſore, in ſententia per Ipſum Lata ſub die 7. 7bris 1747. ſeu &c. verſæ fuerunt, & vertuntur Inſtantia inter R.D. Joſephum Ponikwicki Parochum Novogroden: & Clerum ſæcularem Civitatis, ac Diœceſis Vilnen: Actores, & apellatos, nec non R. D. Adamum Ancypa Promotorem Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis Viln: eiſdem adhærentem, & ad Cauſam pendente Lite admiſſum, ex una, & V. Conventum, ac RR. PP. Ord: Præd: Novogroden: alioſq; Regulares dictæ Civitatis, & Diæceſis Viln: reos Conventos & apellantes partibus

ex

ex altera, de,& ſuper confirmatione vel infirmatione ſententiæ, quâ prædictus D. Vicarius Generalis declaravit dictos PP.Ord:Præd: Novogr: aliosq; Regulares dictæ Civitatis, ac Diœceſis Viln:in tumulatione Cadaverum habentium, vel eligentium ſepulturam in Eccleſijs Regularium teneri ad ſolvendum Parochis, & Eccleſijs Parochialibus, Quartam Funeralem, vel Portionem Canonicam, & proindè declaravit etiam teneri,& obligatos eſſe prædictos PP.Ordinis Prædicatorum Novogroden: ad reſtituendum dicto Ponikwicki emolumenta percepta in tumulatione Cadaverum, quæ fuerunt apud ipſos tumulata, rebusq; alijs in Actis Curiæ, & Cauſarum hujusmodi latiùs deductis, &c. ad quæ &c. Dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, atq; definitivè ſententiamus benè fuiſſe, & eſſe appellatum à prædictis Regularibus, Civitatis, ac Diœceſis Viln: malè verò judicatum à dicto D. Vicario Generali, ſeu Officiali Viln: ideoq; illius ſententiam, in hac parte fuiſſe, & eſſe infirmandam, & revocandam, prout per præſentes infirmamus, & revocamus, & pro infirmata, & revocata

cata

cata haberi volumus, & mandamus, declarantes dictos RR. PP. Ordinis Prædicatorum Novogroden: aliosq; Regulares Civitatis, ac Diœcesis Viln: in tumulatione Cadaverum habentium, vel eligentium sepulturam in Eorum Ecclesijs, non teneri, neque obligatos esse ad ullam solutionem Quartæ Funeralis, vel Portionis Canonicæ Ecclesiæ Parochiali Defuncti; sed ipsis Regularibus licuisse, & licere tumulare eadem cadavevera habentium, vel eligentium sepulturam in eorum Ecclesijs, absq; ulla solutione Quartæ, & Portionis Canonicæ, dictosq propterea Regulares Civitatis ac Diœcesis Viln: absolvendos, & liberandos fore & esse ab impetitis per DD. Parochos, & ab omnibus, & singulis eorum jactationibus, & molestationibus super prætensa exactione dictæ Quartæ Funeralis, prout per Præsentes absolvimus, & liberamus, & pro absolutis, & liberatis haberi volumus, & mandamus; perpetuumq; silentium, de, & super præmissis imponendum fore, & esse, prout imponimus, & mandatum, seu mandata quæcumq; desuper necessaria, & opportuna decernendum, & relaxandum

dum fore, & esse, prout decernimus, & relaxamus, Victamq; Partem Victrici in Expensis condemnamus, quarum taxationem Nobis vel cuj de Jure in posterum reservamus, & ità dicimus, pronuntiamus, decernimus, declaramus, atq; definitivè sententiamus, nõ solùm præmissô, sed & omni alio meliori modo &c.

Quæ scripta sententia Confirmationis robur obtinuit in hoc Nostro S. Rotæ Auditorio; siquidem apellantibus ab ea Parochis, & R. D. Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis Viln: causaq; apellationis hujusmodi mediante Apostolica Cõmissione directa ad R. P. D. Canilliac S. Rotæ Auditorem, & coram eo productis præcedentiũ Instantiarum Processibus, & Juribus, ac novo, & diligenti Examini suppositis prænarratæ sententiæ rationibus, & fundamentis, hæc omnia Iste in plena Rota diei 6. Junij detulit discutienda, Quæ definivit, prout in præsenti ab eodẽ extensa, impræssa Decisione tenoris sequẽtis videlicet.

R. P. D. BEAUFORT de CANILLIAC

Viln. Quartæ Funeralis - *Veneris* 6. *Junij* 1749.

I. Præmota per Parochum Novogroden: Instan-

ſtantia ſuper ſolutione Quartæ Funeralis ſibi facienda à PP. Prædicatoribus ejuſdem Loci, quoties in ipſorum Eccleſia cadavera Parochianorũ tumulari contigiſſet, ſingulos excitavit Parochos, & Regulares totius Diœceſis, qui Cauſam hanc communem eſſe rati, ut ſua ipſorum intererat partim præfato Parocho, & partim Convẽtuj Prædicatorum adhæſerunt. Sed quamvis in Judicio primum introducto coram Officiali Vilnenſi res ceſſerit juxtà vota Parochorum, contrarium tamen poſteà cenſuit A.C. à cujus ſententia nec difforme fuit Dominorum Judicium, qui in gradu apellationis per me rogati - - *An Quarta Funeralis debeatur in Caſu &c.* Reſponderunt *Negativè.*

II. Et jure quidem, ac meritò, quia nec ex cenſura Clementinæ *Dudum* de ſepultur: nec ex ordinatione Trident: Synodi relata *in c.* 3. *ſeſſ:* 25. *de Reform:* ulla Regulares Viln: Diœceſis obligatione adſtringuntur, cujus ope ad præſtationem Quartæ Funerariæ à Parochis compelli poſſint. Idq; ad liquidum evincunt ampliſſima Privilegia, quibus dd. Regulares à Summis Pontificibus

cibus donati fuerunt, & quorum præsidio nemini dubium esse potest, quin ipsi immunes evaserint à Solutione Quartæ in laudata Clementina præscriptæ, hoc ipso quod Privilegia hujusmodi vel præmunita dignoscuntur explicitâ Clausulâ ejusdem Clementinæ derogatoria, vel derogatio per æquipollens continetur sub alijs generalibus, & amplissimis Formulis. Cumq; ex parte Parochorum non doceatur quod ijdem Regulares per 40. Annos ante Concilium Tridentinũ Quartam solvere consveverint, quodq; intrà hoc tempus Privilegia exemptiva illis supervenerint; nec ulla subest ratio, per quam affirmari possit talia Privilegia abrogata fuisse per dictum Concilium, utpote quod limitatè loquitur de Privilegijs, quæ concessa fuerunt à 40. annis citrà ante illius publicationem, quæq; exemptionẽ continent à solutione Quartæ præstari consveta à 40. annis, ante dictam publicationem, quemadmodùm explicativè tradunt Barbos: *ad idem Conc: sess. 25 de Reform: c.* 13. *n.* 5. Tondut: *Quæst: Canon: tom:* 1. *c.* 88. *n.* 2. Laurent: *Variar: Lucubrat: tom:* 1. *tit:* 2. *c.* 3. *n.* 183. Antonell: *de Regim:*

gim:

gim: Eccleſ: l. 1. *c.* 13. *ſub: n.* 9. Et Rot: poſt Di- an: *in Oper: Moral: coordinat: tom:* 8. *deciſ:* 26. *n.* 1. *& ſequent:*

III. Quæ ſanè omnia adeò firma, compertaq; erant, ut nec illa in quæſtionem adducere auſi fuerint Parochi, qui imò eorũ intentionis fundamentum unicè conſtituebant in Epiſtola Paſtorali edita anno 1608. à clar: mem: Cardinali Maciejowſki Archi-Epiſcopo Gneſnenſi, ac inſerta Synodo Provinciali celebrata anno 1628. quâ cum cautũ fuerit, quod - *Quarta Funeralium juxtà Sac: Canones, & Conſtitutiones Synodi, ſalva, & integra maneat Parochiali Defuncti Eccleſiæ, ubicumq; is tandem extra illam, electione etiam ſuâ ſepeliatur* - - Hinc inferebant dd. Parochi, quod Regulares adſtricti remanſerunt ad ſolutionẽ Quartæ non obſtantibus Privilegijs eorum favore militantibus.

IV. Verùm difficultas facili negotio concidebat, ponderando, quod oppoſita Epiſtola nec Regularibus, exſcripta eſt, nec de ijs nominatim loquitur, undè verius eſt dicere, quod ejus diſpoſitio ad illos non perducatur. Minimè atten-

tentâ generalitate Verborum: *Ubicunq; Is tandem sepeliatur*, - - sub quibus etiam Regularium Ecclesiæ comprehensæ videri possint; quia cum talia verba commodè intelligi possint de omnibus alijs Ecclesijs Sæcularibus, quæ nullâ gaudent effugissimâ exemptione, ut sine ulla ampliori controversia Quartam Parocho Defuncti pendant, hæc porrò interpretatio aptior visa est, & omninò sectanda, cum novum nonsit, quod hujusmodi dictiones, licet Universales, restringantur tamen secundum subjectam materiam, vel secundum mentem disponentis ad locum, ubi materia, de qua agitur, procedere potest ad notata per Geminian: *Cons*: 92. *n*. 2. Barbos: *dict*: 413. *sub num*: 1. & Rot: *in rec*: *dec*. 359. *n*. 8. *par*:14.

V. Maximè ea accedente peculiari circumstantia, quod ubi Constitutiones Synodales cōprehendere voluerunt Regulares in hac materia Quartæ Funeralis, de illis expressam fecerunt mentionem, prout eruitur ex Constitutione Synodali Cracovien: Anni 1711. & ex alia Diœces: Vilnen: Anni 1713. quamvis Constitutiones hujusmodi, utpote nulliter editæ, & à Sede Apostolica

lica non confirmatæ, nunquam in hac parte obſervatæ fuerunt: Quocircà cum in Epiſtola Paſtorali Card: Maciejowſki,& in Synodo Provinciali Gneſnenſi nulla de Regularibus in hoc propoſito Quartæ Funeralis habita fuerit mentio,id quidem argumento eſt eos non fuiſſe in illis cōprehenſos *ad Vulgat: Text: in Leg: fin:* §. *Sin autem. Cod: de Caduc: tollen:*

VI. Certius autem quia laudatus Cardinalis in ſua Epiſtola nihil novi ex ſe cenſuit præcipere, ſed arctiùs optavit implementum SS. Canonum: Quare nihil egit, ut exemptionum Privilegijs derogatum cenſeatur, ſi nè generale quidem Trid:Concilium exiſtimavit omnia,& quæcumq; Privilegia abrogare, ſed recentia duntaxat per 40. annos ante conceſſa, & hoc amplius cum reſtrictione ad illos Regulares, qui intrà metam 40. annorum conſveviſſent Quartam perſolvere, ut latius ſupra obſervatum fuit. Ne itaq; plus voluiſſe cenſeatur Cardinalis,quā Concilium Trid: præſcripſerit, concludendum omninò eſt, quod per illa verba - - *Juxtà SS. Canones* - - illæſa præſervaverint tùm decreta ejuſ-

dem

dem Concilij tùm etiam Privilegia per SS. Pontifices Regularibus concessa, quando signanter nulla est difficultas, quin hæc omnia complecti possint sub verbo *Canon*, in latiori præsertim significatu sumpto, *ad Text: in Can: Habeo. dist:* 16. *Et in Can: Nicæna Synodus. dist:* 31. Abbas *in cap: Canonum Statuta de Constit:* ibiq; Felin: *n.* 1. & Fagnan: *n.* 30. *& seq:*9. *Anaclet: in Jus Canon: l.* 1. *tit:* 20. § 1. *n.* 7. *& seq:* Et Lauren: *in eodem l.* 1. *quæst:* 34. *n.* 2.

VII. Audiri nec meruit, quod Canonum appellatione communiter intelligantur Constitutiones clausæ in Corpore Juris, non etiam Decreta S. Concilij Trid: aut Pontificiæ Constitutiones extra Corpus Juris vagantes. Quidquid enim sit de hac opinione, quam confutant Barbosa *Clauf:* 52. *n.* 4. Et Tamburin: *de Jur: Abb: tom:* 1. *disp:* 18. *quæst:* 6. *n.* 2. *& seq:* Prævaluit in præsenti animadversio, quod cum verba illa - - *Juxtà SS. Canones* - - nonfuerint prolata à Summo Pontifice, sed ab inferiore, eorum justa intelligentia haurienda proculdiubio est à potestate illlus, qui verba protulit, secundum quam

vo-

voluntas diſponentis metiri debet *ad Text: in c. Cum in generali, de Offic: Vicar: in 6. & in Leg: Lucius* §. 21. *ff: ad municipal:* Rot: *in rec: dec:* 273. *n.* 16. *& ſeq: par:* 12. *coram Dunozzet iun: dec:* 678. *n.* 21. *& coram* Lancetta *deciſ:* 1377. *n.* 6. Eaq; propter dum ſolutio Quartæ facienda juxtà SS. Canones injungitur in Epiſtola Paſtorali Cardin: Archi-Epiſcopi, & in Synodo Gneſnenſi, utiq; præſervatæ dici debent non ſolum Conſtitutiones Clauſæ in Corpore Juris, ſed etiam Decreta S. Concilij Trid: & Conſtitutiones ac Privilegia SS. Pontificum; Quippe quia nec Cardinalis Archi-Epiſcopus, nec Synodus Provincialis, poteſtatem habent ijs derogandi *Cap: Innotuit, de Elect: Et in Extravagant: Sancta Romana* §. *Quidam autem de Relig: domib: & ibi Gloſſa verb: Concilij.* Gratian: *diſcept: form: cap:* 925. *n.* 4. Piton: *diſcept: Ecleſ:* 93. *n.* 23. *tom:* 3. & Rota coram Molin: *decis:* 815. *n.* 10. & in ſpecie, quod dicta Synodus Gneſnenſis poteſtátem non habuerit derogandi Privilegijs Regularium probat Fagnan: *in c. Quod ſuper his: n.* 24. *verſ: Undè Synodus de major: & Obed:*

VIII.

VIII. Absq; eo quod officere potuerit, quod enunciata Synodus Gnesnensis edita An: 1628. confirmata fuerit à san: mem: Urbano VIII. quodq; hoc amplius in Literis Apostolicis ejusdem confirmationis cautum fuerit ut Constitutiones Synodales ab omnib9 Personis Ecclesiasticis, tàm sæcularibus, quàm Regularibus observarentur. Nàm quotiès ex suprà firmatis Caput illud Synodi Provincialis, seu veriùs Epistola Pastoralis clar: mem: Card: Maciejowski, ubi agit de Quarta Funerali, non afficit Regulares, sive quia de illis non loquitur, sive quia se refert ad SS. Canones, sive etiam quia potestas statuentis ad id non porrigebatur, profectò confirmatio Apostolica non est diversimodè accipienda, cum ea sit Confirmationis indoles, ut robur tribuat actui confirmato, at non etiam, ut ejus dispositionem extendat ultrà id, quod in eo continetur. Rota *in recent: decis*: 163. *n.* 7. *par*: 15. *decis* 377. *n.* 18. *par*: 17. coram malin: *decis*: 1015. *n.* 9. *& sequ*: Et *in Tirasonen*: Jurisdictionis, & Præeminentiarum. 25. *Januar*: 1743. *in fin*: coram clar: mem: Cardinalis Calcagnino.

IX. Nec majus fundamentum constitui posse visum est in eo, quod in enunciato Brevi Confirmatorio mentio etiam fiat de Regularibus. Quando quidem cum in Synodo Provinciali, cuj confirmationis Apostolicæ munimen accessit, illa sola non adesset Sanctio, respiciens solutionē Quartæ Funeralis, sed & aliæ plures existerent promiscuè afficientes tā sæculares, quàm Regulares, qui in pluribus Casibus subsunt Jurisdictioni sivè Ordinariæ, sive delegatæ Episcoporū, ac tenētur ad observantiam Constitutionum Synodalium, atq; Provincialium, quos Casus latè recenset SS. D. Noster in suo Eruditissimo Tractatu de Synodo Diœcesana *l.* 7. *c.* 41. *& duobus seq*: *Et l.* 8. *c.* 4. *n.* 5. *& seq*: Hinc mentio Regulariū in brevi Confirmatorio facta intelligēda est relativè ad hujusmodi Casus, & ad ea Synodi Capita, in quibus Regulares comprehēdūtur, ad regulam de qua Fachin: *Controv*: *Jur*: *l.* 7. *c.* 64. Rota *in recent*: *decis*: 192. *n.* 6. *par*: 8. *coram* Seraphin: *decis*: 1023. *n.* 4. *& coram* Molin: *decis*: 1225. *num*: 14. Eò vel magis quia dicta Confirmatio fuit à S. Pōtifice cōcessa habito priùs examine, ac Voto S. Cōgregationis Cōcilij, quæ nū-

nũquàm approbat, sed imò delere solet Decreta, omnia Cõcilij Provincialis quoquo modo violãtia exemptiones, & Privilegia Regularium, ut notat Fagnã: in cap: *Quod super his. n. 24. in fine de Major: & obedientia.*

X. Atq; hinc frustra obtrudebatur Clausula generalis. *Non Obstantibus quibuscunq;* adjecta in fine Brevis Confirmatorij. Quia cum nec in actu cõfirmato, nec in ipso Brevi Confirmatorio ulla adsit mentio Regularium in proposito Quartæ Funeralis, nec ullibi innuãtur Privilegia illos eximẽtia à solutione ejusdem Quartæ, nil sané minus erat, quàm ut per dictam Clausulam generalem derogatum fuisse dici posset, enũtiatis Privilegijs, pro quo imò effectu necesse est, vel quod cõcurrat derogatio expressa, vel quod Lex, seu Cõstitutio posterior implicet cõtrarietatem, seu incompatibilitatem cum antecedẽtibus Privilegijs, quodquè hujusmodi cõtrarietas sit in se adeo Clara, ac manifesta, ut quamlibet excludat cõciliationem, quæ ubi aliquo modo possibilis detegatur, semper fieri debet ad evitãdam exosam derogationem anteriorem Privilegiorum, ad ea,

quæ in ſpecie tradunt Paſſerin: *in c.* 1. *de Conſt*: *in* 6. *n.* 120. Pignatel: *Conſult*: 106. *n.* 10. *tom*: 10. Et Rota coram Molin: *deciſ*:676.*n*.13.*& ſeq*:

XI. Hactenùs dicta & ſi ſatis perſpicua per ſe viſa fuerint,potiores adhuc aſſumunt vires à ſubſecuta conformi Obſervantia,de qua teſtimonium perhibent Viri omni exceptione Majores, nempè Magiſtratus, Proceres, Ordinesq; Univerſi M.D.L. uno ore deponẽtes, quod Regulares nũquam Quartam Funeralem Parochis præſtiterunt. Quodquè magis in rem eſt, hanc eãdẽ negativam obſervantiam comprobãt ipſimet teſtes in contrarium adducti,qui licet deponãt de petitionibus Parochorum, in ſubſtãtia tamen cõveniunt, quod Regulares dictam Quartam non perſolverint. Exinde autem affirmari tuto poteſt, Conſtitutionem Synodalem loquentem de Quarta Funerali non afficere Regulares, cum obſervantia ſit optima interpres Conſtitutionum tùm Apoſtolicarum, tùm Synodalium, *ad Text*: *in Cap*: *cum dilectus*. 8. *de Conſvet*: Rota coram Caprara *deciſ*:421 *n*.6. *& deciſ*:704. *ſub n*. 3. *& ſeq*: Et coram Molin: *deciſ*: 748. *n*. 36. Haud atten-

to

to decreto irritāte, quod adjectum fuit in antedicto Brevi Urbani VIII. Cum illud ſolum impediat, ne induci poſſint cōtraria præſcriptio, at non etiam impedimento ſit, ne diſpoſitio ejuſdem Brevis interprætationem recipere debeat ab obſervātia ut appoſitè reſpōdit Rota in Vormatiēſi, Beneficij 5. 7bris 1735. §. 7. coram Eminētiſſimo D. meo Card: Creſcentio.

XII. Aſtipulatur etiam in eadem linea interpretativa Lis acta An: 1632. in S.Cōgr:Concilij inter FF.Minores de Obſervātia Poloniæ,& Parochos, nec nō Decretum inibi editum d. 14. 9bris ejuſdem anni, quô declaratum fuit onus probandi conſvetudinem ſolvēdi Quartam per 40. annos ante Concilij Trid: pertinere ad Parochos. Hoc quippè Decretum per extenſum relatum à Matthæuccio *Official: Cur: Eccl: cap*: 42. *n*.9. neceſſariò præſupponit per Concilium Provinciale, & Breve s. mem: Urbani VIII. non fuiſſe derogatum Privilegijs Regularium, alioquin inepta fuiſſet illa Diſputatio,nec Parochi, recurſum habuiſſent ad Diſpoſitionem S. Conc: Trident: - - Et ita Utraq; &c.

Ineul-

Indultô autem beneficiô novæ audientiæ eiſden RR. Parochis ſuccumbentibus ſubſequens emanavit Confirmatoria Deciſio tenoris ſequentis videlicet.

R.P.D.BEAUFORT de CANILLIAC.

VILNEN: *Quartæ Funeralis* - - Veneris 23 Jan: 1750

I. Quartam Funeralem per Regulares Diœceſis Viln: præſtandam non eſſe Parocho Defuncti, cujus cadaver in eorum Eccleſijs tumulari contigiſſet, definivit S. Tribunal ſub *d.* 6. *Junij* præterlapſi anni coram Me, cujus Deciſionis fundamenta cum ex Beneficio novæ Audientiæ Parochis ſuccumbentibus indulto, hodie ad trutinā fuerint revocata, tantùm roboris, ac firmitatis habere comperta ſunt, ut confirmari omninò meruerint per Reſcriptum - - *In Deciſ:*

II. Pacificum namq; adhuc erat inter Partes, quod nulla in præſenti vis fieri poſſet, ver ſuper Clementia *Dudùm de Sepultur*, à cujus cenſura immunitate potiebantur Regulares collitigantes, veluti donati ampliſſimis Privilegijs Apoſtolicis ipſos eximentibus à ſolutioneQuartæ in eadē Clemen-

mentia præscriptæ, vel super ordinatione Tridẽtinæ Synodi abrogantis *in cap*: 13. *sess*: 25. *de Reform*: hujusmodi Privilegia Regularibus concessa: Quia cum pro parte Parochorum doctum non fuerit, quod Regulares Diœcesis Vilnensis consveverint persolvere Quartam Funeralem per 40. Annos antè Laudatam Synodum, quodquè intra hoc tempus Privilegia exemptiva illi supervenerint, extranea illicò reddebatur Dispositio Conciliaris, veluti restrictivè loquẽs de Privilelegijs illis, quæ per Regulares assvetos Quartam extrahere per 40. annos ante publicationem ipsius Conc: Trid: obtenta fuissent intrà hoc idem tempus, ut latiùs adstruitur in Decisione, quæ revidetur §. 2.

III. Totaq; difficultas denuò stetit in Epistola Pastorali edita anno 1607. à Clar: mem: Card: Maciejowski Archi-Episcopo Gnesn: ac inserta Synodo Provinciali celebrata anno 1628. in qua Epistola cũ præ cæteris edixerit Cardinalis, quop - - *Quarta Funeralium juxtà SS. Canones, & Constitutiones Synodi salva, & integra maneat Parochiali Defuncti Ecclesiæ, ubicumq; is tandem extrà illam ele-*

ctio.

ctione etiam suâ sepeliatur. -- Hinc contendebant Parochi, quod usus Privilegiorum interdictus remanserit Regularibus, semel, ac res redacta fuit ad terminos SS. Canonum, iuxtâ quos Regulares ad solutionem Quartæ obstringuntur.

IV. sed discursus illicò minùs habens visus fuit, veluti innixus falso supposito, quod Cardinalis in enunciata Epistola de Regularibus cogitaverit, quorum cum imò nullam ferit mentionem, & vicissim Epistolam exscripserit Archi-Præsbyteris, Præsbyteris, Plebanis, & alijs quibuscumq; curam Animarum habentibus, melius dicere est, quod in cogitatione mentis tunc non habuerit Regulares, ad durissimum præsertim effectum illos privandi Privilegijs elargitis per summos Pontifices, quo nec ullo modo perducebatur ejusdem Cardinalis Potestas. Eaquè propter metiendo ejus voluntatem à potestatè iterùm arrisit interpretatio, quod per verba illa - - *Juxtà SS. Canones* - - Cardinalis præservare voluerit tùm Constitutiones clausas in corpore Juris, tùm alias Apostolicas Constitutiones extrà Corpus Juris vagantes, cujus modi sunt Privilegia Regulari-

Literae executoriales

trium conformium sententiarum Romae latarum in causa inter AA. RR. DD. parochos, et universos regulares dioecesis Vilnensis.

Ab anno 1729 agitata, et anno praesentae 1751 terminata, ~~et anno~~ occasione praetense portionis canoni-[cae.

8°. 68 sk.

Az – I.

Opr. tekt.

Literae executoriales trium conformium sententiarum Romae laterum in causa inter AA. RR. DD. Parochos, et universos regulares dioecesis Vilnensis.

Ab anno 1729 agitata, et anno praesentae 1751 terminata, occasione praetense portionis canonicae.

8°. 68 zk.

A2 — J.

Cfr. tekst.

ſaribus cōceſſa, eoſq; eximentia à ſolutione Quartæ. Hæc quippè interpretatio, cæteroquin conſentanea verbo *Canon*, ſub cujus apellatione in latiori præſertim ſignificatu ſumpta dubium non eſt, quin ſingulæ contineantur Summorum Pontificum Conſtitutiones, ut præter adductos in Deciſione Cauſæ §. 6. docet etiam SS. D. Noſter in ſuo diſertiſſimo Tract: de Synodo Diœceſan. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 3. potiori jure recipienda viſa eſt in caſu, cum non ſit aliud medium evitandi abſurdum aliter oriturum, quod ſcilicet Cardinalis attentare auſus fuerit in Privilegia Pontificia Regularibus indulta, ſibiq; in hoc plus arrogaverit, quàm Concilium Tridentinum, per quod Privilegia Regularium in propoſito Quartæ Funeralis non indiſtinctè abrogantur, ſed ſolummodò cum moderatione paulò ſupra indicata, ut rectè diſſerit mox dicta Deciſio Cauſæ eodem §. 5. *& ſeq:*.

V. Eademq; retenta methodo metiendi volūtatem Cardinalis ab ejus poteſtate, nec majus fundamentum conſtitui poterat in alijs ſubſequentibus Epiſtolæ Verbis - *Ubicumq; Is tandem*

 ſepe-

ſepeliatur -- quaſi per dictionem illam univerſalem -- *Ubicumq;* -- comprehenſæ videri poſſint etiam Regularium Eccleſiæ. Quoniam cum recenſita verba effectum operari apta ſint in caſibus, in quibus Defunctus tumuletur in Eccleſijs Sæcularibus, quæ non ſint Parochiales, vel etiam in Eccleſia ſæculari ſimul, & Parochiali, quæ tamen non ſit propria Parochialis Defuncti, non eſt, cur illa trahantur ad Eccleſias Regularium exemptione gaudentium ob dictionẽ *Ubicumq;* -- quæ licet Univerſalis, nihilominùs intelligenda eſt juxtà ſubiectâ materiâ, hoc eſt de illis Locis,quibꝰ Diſpoſitio convenire poteſt, conſiderata ſimul tùm mente,tùm poteſtate diſponentis, ut cum alijs, quos allegat, expendit Deciſio, quæ revidetur §. 4.

VI. Cæterùm, quando etiam præciſivè à poteſtate abrogandi Privilegia Regularium, inquirendum foret de ſola voluntate tùm prælaudati Cardinalis, tùm Patrum, qui in Synodo Provinciali ejus Epiſtolam approbarunt, tàm longè eſt, quod de hujuſmodi voluntate conſtet, ut imô in illius excluſionem quædamconcurrant non modica

dica consideratione digna. Porrò perstat in Facto, quod idem Cardinalis in alia Synodo Provinciali Anni 1607. cuj post paucos dies addidit memoratam Epistolam, statuit, ut Constitutiones antecedentium Synodorum colligerentur, atq; observarentur; hac tamen adjecta limitatione -- *Quæ sint consentaneæ, nec repugnent SS. Concilij Decretis, Sacrisvè Canonibus, aut Constitutionibus Apostolicis* -- Patres verò Concilij Provincialis Anni 1628. dum inseruerunt dictam Epistolam Pastoralem Cardinalis, præmiserunt, quod in eadem Epistola cõpendiosè continebatur, quidquid de Sacramentorum administratione sparsim in Sacrorum Canonibus, & S. Concilio Trid: statutum reperitur. Quocircà si Cardinalis Auctor Epistolæ expresse jussit, ut observarentur Decreta S. Concilij Trid: & Constitutiones Apostolicæ; si Concilium Provinciale eamdem Epistolam approbavit, observariq; mandavit sub expresso supposito, quod ea, quæ in ipsa continebantur, essent conformia Dispositioni S. Concilij Trind: palàm hinc, apertumq; redditur, quod nec Cardinalis, nec Concilium

Provinciale unquam in ea voluntate fuerunt obligandi Regulares ad ſolutionem Quartæ Funeralis contra cenſuram S. Concilij Trid: & Conſtitutionum Apoſtolicarum.

VII. His autem firmis manentibus inutiliter ex parte Parochorum iterùm opponebatur quod enunciata Synodus Gneſnenſis evulgata Anno 1628. Confirmationem ſortita fuerit à s. mem: Urbano VIII. in cujus Brevi Apoſtolico cum explicita mentio habeatur de Regularibus, quibus non minùs, ac Perſonis Eccleſiaſticis ſæcularibus injuncta fuit obſervatio Conſtitutionũ Synodalium, hinc ambiendum amplius non ſit, quin dictæ Conſtitutiones afficiant Regulares in puncto ſolutionis Quartæ Funeralis, cum defectus poteſtatis, ſi qui antea fuit reſpectu, ſivè Cardinalis, ſivè Synodi Provincialis, opponibilis amplius non ſit, poſtquam ſuprema acceſſit Pontificia auctoritas.

VIII. Pro eliminatione namq; difficultatis põderabant Domini, quod ſemel ac pro inducenda comprehenſione Regularium neceſſaria fuit auctoritas Pontificia, ut tandem in Obſequium veri-

veritatis ipsimet Parochi admittebant, iam ex hoc affirmari tutiùs poterat, quod nullo modo sub præambula Epistola Pastorali ceciderunt Regulares, quando præsertim Cardinalis, qui talē Epistolam edidit, nec cogitavit de munimine Confirmationis Apostolicæ, nec quoad vixit hujusmodi confirmationem obtinuit. Datô autem, quod enunciata Epistola, nec quà vulgata per Cardinalem, nec quà inserta Synodi Provinciali apta fuerit Regulares comprehendere: Itemq; datô, quod nullibi appareat Pontifici supplicatum fuisse pro confirmatione Synodi, & Epistolæ cum explicita petitione, quod etiam Regulares, non obstantibus ipsorum Privilegijs, adstringerentur ad solutionem Quartæ Funeralis, in necessarium consequens hinc promanat, quod Breve Apostolicum, quod in his terminis lineam egressum non fuit nudæ confirmationis Synodi, & Epistolæ, nullam recipere potest extensionem ultrà id, quod in eisdem Synodo, & Epistola continetur, obinconcussam Regulam quod Confirmatio, quantumvis informa spe-

cifica, confert quidem robur actui confirmato, sed tamen ultrà ejus Limites, & continentiam non perducitur, *ad Text: in cap:* 1. *ubi Gloss: verbo: Confirmationem. Et cap:* 2. *de Confirm: util: vel inutil:* Rota *in recent: Decis:* 58. *n.*29. *& seq: par*. 6. *Decis:* 593. *n.* 13. *par:* 11. Et coram Bich: *Decis:* 521. *n.* 8. *& seq:* cú alijs adductis in præcedenti Decisione §. 8.

IX. Atquè hinc in nihilo attendi promeruit, quod Pontifex in Brevi Confirmatorio explicitã de Regularibus mentionem fecerit. Quia sicuti Regulares in pluribus casibus subijciuntur Jurisdictioni Episcoporum, atq; in his observare debent Constitutiones Synodales, prout enumerando hujusmodi Casus, sublimi, quà pollet, Doctrinâ, probat SS. D. Noster in laudato Tractatu de Synodo Diœcesana *l.* 7. *c.*41. *& seq:* Et *l.* 8. *c.* 4. *n.* 5. *& seq:* ità invaluit usus, ut in Brevibus Cofirmatorijs Synodorum mentio fiat tàm de sæcularibus, quàm de Regularibus, non iam ut Regularium Privilegijs derogetur, ipsiq; obligẽtur ad observandas Leges Synodales, quibus de Jure, vel ex Privilegijs Apostolicis non ligan-

gantur, ſed ut Regulares magis adſtringantur ad obſervantiam Conſtitutionum Synodalium in ijs Capitulis,in quibus ipſi Epiſcopi,Synodiq; poteſtati ſubijcientur, ut Solidè fundat Deciſio Cauſæ §. 9.

X. Eoquè tutius hujuſmodi intelligentia admiſſa fuit in themate,tùm quia in hac ipſa,dequa agitur, Synodo Anni 1628. à s. mem: Urbano VIII. confirmata adeſt inter cætera Capitulum ſpecialiter loquens de Regularibus, in quo ipſi monentur ad obſervantiam Clementinæ *Religioſi:de Privileg:* loquētis de adminiſtratione Sacramentorum, nec non S.Conc: Tridentini,& Conſtitutionū Apoſtolicarū: unde abſonū nimis eſſet, quod diverſimodè, ac in ſenſu longè duriori acciperetur mentio Regularium facta in Brevi Confirmatorio ex promiſcuè demandata ejusdem Synodi obſervantia Perſonis tàm ſæcularibus, quàm Regularibus. Tùm etiam,quia mox enunciatum Breve editum fuit magna cum maturitate, & poſtquam in anteceſſum præceſſerat examen, ac Votum S. Congr: Conc: quô fit, ut eo minùs derogatum fuiſſe dici poſſit Privilegiis

Re-

Regularium, cum eadem Sacra Congregatio nunquàm approbet, sed imò delere, soleat Decreta omnia Concilij Provincialis quoquo modo violantia exemptiones, & Privilegia Regularium, juxtà notata per Fagnan: *in cap: Quod super his. n. 24. in fine de Majorit: & obedientia.*

XI. Quæ cum ita sint, longè debiliori conatu ex parte Parochorum insistebatur in eo, quod Breve Apostolicum injungat Regularibus, observantiam Constitutionum Synodalium in omnibus, & per omnia, hinc subsumendo, quod illi ad stricti etiam remanserint ad solutionē Quartæ, in dictis Constitutionibus præscriptæ: minimè attentis Privilegijs eorum favore quoad hoc militantibus, dum istis satis derogatum videri potest per aliam Clausulam -- *Non obstantibus quibuscumquè* -- in laudato Brevi superadditam.

XII. Sedulò namq; animadversum fuit, quod licet discursus in aliqua consideratione haberi posset, quando Pontifex eo loci, ubi demandavit Observantiam Constitutionum Synodalium -- *In omnibus, & per omnia* -- de Regularibus tantummodò fuisset locutus, omnem tamen vim amit-

mittit, quoties per contrarium Pontifex ibidem promiſcuam mentionem fecit tam de Regularibus, quàm de Sæcularibus verba dirigendo ad omnes Eccleſiaſticos Utriusq; Cleri. Hæc quippè circumſtantia marte ſuo efficit, ut ſubſequẽtia generalia verba -- *In omnibus, & per omnia* diſtributivè accipi debeat, ea congruè ad ſingulas Perſonas referendo, ita ut in omnibus, & per omnia Sæculares, & Regulares obſervare teneantur Conſtitutiones Synodales, prout ſingulæ ſingulos afficiunt, quemadmodum *per Text: in Leg: Quoties. Cod: Famil: Erciſ: ponderat Deciſ: Conſ:* 646. *in fine*. Gabriel *conſ*: 18. *n.* 13. *l.* 2. Rota *in Recent: Deciſ*: 48. *n.* 7. *par*: 17. Et magis in individuo eadem Rota *Deciſ*: 429. *n.* 3. *p.* 2. *Rec*:

XIII. Id quod clarius etiam confirmatur ex ijs verbis, Pontificio Brevi adjectis, ac relationem habentibus ad Eccleſiaſticos tàm Sæculares, quàm Regulares -- *Ad quos quomodolibet ſpectat* -- ac rurſus ex alijs ſe referentibus ad Decreta Synodalia, *juxtà eorum formam, & tenorem* -- quæ ſanè verba non ſolum ad evidentiam oſtẽdunt ſingulos Eccleſiaſticos, ſive Regulares,

 ſive

five Sæculares fuiffe adftrictos ad Obfervantiam Conftitutionum Synodalium eo modo, & forma, quo fingulæ ipfos afficiebant: verum etiam in propatulo ponunt Pontificem in nihilo recedere voluiffe à tenore, & forma dictarum Conftitutionum Synodalium, fed intra ipfarum limites obfervantiam præcepiffe, ut ponderando efficaciã prædictorum verborum appofitè docuit Rota *Rec*: *Decif*:40. *n*.1. *& feq*:*p*.2. *diverfor*: *& Decif*: 321. *n*. 4. *p*. 6. *Recent*.

XIV. Hac autem retenta perfpicua voluntate Põtificis, nec in minimo immutãdi cõtinẽtiam, & tenorẽ Conftitutionum Synodalium; itemquè firmo ftante, quod in iftis non fecùs, ac in Brevi Confirmatorio nulla adfit fpecialis mentio Regularium in puncto Quartæ Funeralis, quodquè nullibi innuantur Privilegia, illos eximentia à folutione ejufdem Quartæ, Caufæ porrò nihil eft, cur per aliam Claufulam generalem -- *Non obftantibus quibufcumq;* -- derogatum fuiffe dici posfit mox dictis Privilegijs, cum pro hujufmodi effectu requiratur, vel quod derogatio fuerit expreffa, facta videlicet cum fpeciali, atquè indivi-

dua

dua mentione eorundem Privilegiorum *ad Text: in cap: 1. de Constit: in 6. & notata per Fagnan: in c. Cæterorum n. 20. de Rescript:* Rota *Decis:* 710. & *Decis:* 711. *utrobiquè n. 1. par:* 4. *diversi:* Coram Seraphin: *Decis:* 127. *n.* 5. & *Decis,* 1082. *n.* 1. Et Coram Emerix *jen: Decis:* 66. *n.* 10. vel quod Lex, seu Constitutio posterior implicaret contrarietatem, seu incompatibilitatem cum antecedentibus Privilegijs, hæcq; contrarietas ipsa per se adeo clara, & manifesta foret, ut quamlibet excluderet cõciliationẽ, quæ ubi aliquomodo possibilis detegatur, semper fieri debet ad evitandã exosã derogationẽ antecedẽtiũ Privilegiorũ, ut cũ aliis accurate expendit Decisio Causæ §. 10.

XV. Ex his itaq; pro comperto fuit habitum, quod nec Epistola Pastoralis, nec Breve Confirmatorium afficiunt Regulares. Sed quandò aliqua adhuc inesset dubietas, hæc à toto genere dissipata remaneret ex subsecuta longæva observantia, de qua testimonium perhibent Magistratus, Omnesquè Ordines M. D. L. unanimiter deponentes nunquam à Regularibus solutã fuisse Quartam Funeralem. Hisce autem deposi-

tionibus ratione ſive numeri, ſive Dignitatis Teſtium maximoperè attendendis, ſi hoc etiam addatur, quod illæ non confliĉtantur, ſed imò coadjuvantur ab alijs Teſtibus in contrarium adductis, qui licet deponant de petitionibus Parochorum, in ſubſtantia tamen conveniunt, quod Regulares dictam Quartam non perſolverunt, jā inde affirmari tutò poteſt Conſtitutionem Synodalem loquentem de Quarta Funerali non afficere Regulares, cum ſatis vulgatum ſit cujuscūq; Conſtitutionis ſive Apoſtolicæ, ſive Synodalis interpretationem rectè deſumi ab Obſervantia *ad Text: in cap: Cùm dilectus.* 8. *de Conſuet:* Rota *Deciſ:* 503. *n.* 2. *p.* 1. *diverſ: Deciſ:* 455. *n.* 1 *in fine p.* 4. *tom:* 1. *Recent:* Et coram Molin: *Deciſ:* 748. *n.* 36.

XVI. Minimè attento, quod obſervantia hujuſmodi allegari in præſenti non poteſt, vel propter obſtaculum oriens ex clauſula -- *ſublata, & Decreto irritante* -- adjectis Brevi s. mem: Urbani VIII. vel quia illa intercepta remanſerit ex Litibus diverſis temporibus per Parochos introductis adversùs Regulares ſuper præſtatione Quartæ

tæ Funeralis. Ad priorem namquè objectionis partem satisfecit respõsio, quod enunciatæ Clausulæ tum demùm impedirent, ne allegari posset observantia in linea interpretativa, ubi Litera Brevis clara esset cõtra ipsã observantiã, in quibꝯ terminis loquitur Rota *in Romana* Pecuniaria 23. Januarij 1747. §. 10. corã R.P.D. meo Bussio in contrariũ allegata; secus autẽ quãdo Observãtia, prout hactenùs demõstatũ fuit, est potiꝯ cõsentanea Brevi Pontificio, dum in his terminis nil vetat, quominùs illa allegari possit saltim in linea interpretativa. Pro eo verò, quod attinet ad alteram objectionis partem ex facto perspectum est, quod licet Parochi de annis 1705. & 1717. judicialiter petierint à Regularibus QuartamFuneralem, Instantiam tamen prosequi non curarunt, quinimò illam statim deseruerunt; Unde non est cur consvetudo, & observantia interversa dici possit ab hujusmodi Litibus, ex quarũ imò instantanea desertione mali Juris agnitioni tribuenda, & successivè continuata in Regularibus quasi possessione non solvendi Quartam, eadem observantia validiùs constabilita remansit, ut aliàs

às respondit Rota *Decis*:90.*n*.17. apud Antonell: *de Oner*: *Cleric*: *Decis*: 895. *in fine* coram Molin: Et in *Leopoliensi Decimarum* 28. Febr: 1746. §. 11. coram Me.

XVII. Eoqué magis custodienda visa est observantia hujusmodi, quo majores acquirit vires ex resolutione S. Congr: Conc: edita in Causa FF. Minorum de Observantia Provinciæ Poloniæ die 14. Novembr: 1682. qua cum declaratum fuerit, quod onus probandi Quartam Funeralem per 40. annos ante Concilium solvi consvevisse pertinebat ad Parochos Poloniæ, ut patet ex Decreto relato à Matthæucc: *Offic*: *Cur*: *Eccl*: *c*. 42. *n*. 9. in manifestū consequens hinc descendit, quod nec Litera Pastoralis, sive Concilium Provinciale, nec Breve s. mem: Urbani VIII. obstabant Privilegijs Regularium, dum si hæc obstitissent, inepta, ac supervacanea fuisset disputatio assumpta super dispositione S. Conc: Trid: quemadmodum ratiocinatur Decisio Causæ §. *finali*: spretâ replicatione, quod tunc producta non fuerit Litera Pastoralis, seu Constitutio Synodi Provincialis, utpoté Parochis ignota.

Quoniam

Quoniam ut nemini ſvaſum ire poteſt, quod Parochi ignoraverint Conſtitutiones Synodales, Literamquè Paſtoralem ipſis directam, ac pro illorum inſtructione exaratam, ita præſtat aſſerere, quod omiſſa productio dictæ Literæ ex eo unicè proceſſerit, quod Parochi agnoverũt ipsã ad eorũ intentũ nihil conducere, tanquam minimè complectentẽ Regulares, cum alioquin per occaſionem adeò opportunam ejus exibitionem non omiſiſſent, ut ad rem conſiderat Rota in *Colonien: Perſonatûs ſuper Compulſoria ſpecialis* 13. *Martij* 1747. §. 5. coram R.P.D. meo Vicecomite.

Et ita remiſſivè in reliquis adpræcedentem Deciſionem reſolutum fuit Utraq; &c.

In quarum Deciſionum Executionem prævio reſcripto Rotali demandante Cauſæ expeditionem Idem R.P.D. de Canilliac ſervatis omnibus, & ſingulis de Jure, & ſtylo ſervari ſolitis, citatoquè perſonaliter D. Joanne Baptiſta de Rubeis ex adverſo Procuratore aſſerto in Romana Curia ejuſdem R.D. Joſephi Ponikwicki, Parochi Novogrodenſis, R. D. Adami Ancypa Promotoris

Fi-

Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Vilnenſis, ac RR. DD. Parochorum Civitatis ac Diœceſis Vilnenſis ex adverſo Principalium ſub die 6. Julij 1750. ſuam inſcriptis tulit, ac promulgavit Sententiam Definitivam tenoris ſequentis, videlicet.

CHRISTI Nomine Invocato.

PRo Tribunali ſedentes, & ſolùm Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram Definitivam Sententiam, quā de RR. PP. DD. Noſtrorum Coauditorum conſilio, & aſſenſu in his ſcriptis ferimus, in Cauſa, & Cauſis, quæ 1mô, & in 1ma coram Rmo Vicario Generali, ſeu Officiali Curiæ Epiſcopalis Vilnæ, 2dò, & in 2da corā R. P. D. A. C. Cincio, 3tiò & in 3tià ſeu alia veriori corā Nobis verſæ fuerunt, & vertuntur Inſtantia inter R. D. Joſephum Ponikwicki Parochum Novogrod: alioſq; Parochos, & Clerū Sæcularē Civitatis ac Diœceſis Vilnæ Actores, & apellātes, nec nō R. D. Adamum Ancypa Promotorem Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis Vilnæ eiſdem adhærētem, & ad Cauſam pendente Lite admiſſum ex una, & Ven: Conventum, ac RR. PP. Ordinis

Præ-

Prædicatorum Civitatis Novogrodensis, aliosq; Regulares ejusdem Civitatis, ac Diœcesis Vilnæ reos conventos,& apellatos ex altera partibus de, & super solutione Quartæ Funeralis, seu Portionis Canonicæ per Parochos, & Ecclesias Parochiales prætensa adversùs præfatum Convētū Ordinis Præd: Novogroden:aliosq; Regulares dictæ Civitatis & Diœcesis Vilnæ in tumulatione Cadaverū, vel eligentium Sepulturam, in Ecclesijs Regularium, & respectivè de, & super confirmatione vel infirmatione sentētiæ latæ ab eodem A.C. Cincio, qui revocādo judicatum Curiæ Episcopalis,declaravit dd.Patres Ord:Præd: Novogrod: aliosq; Regulares Civitatis,ac Diœcesis Vilnæ nō teneri ad ullam solutionem Quartæ Funeralis,vel Portionis Canonicæ Ecclesiæ Parochiali Defuncti in tumulatione Cadaverum in dd. Ecclesijs Regularium, rebusq; alijs &c. dicimus, pronūciamus,decernimus,declaramus, atq; definitivè sentētiamus ad formam, & tenorem Decisionū corā Nobis editarū die 6. Junij 1749. & 23. Januarij currentis anni 1750. Quartā Funeralem, seu Portionem Canonicam non debe-

ri præfatis Parocho Novogrodensi, alijsq; Parochis Civitatis ac Diœcesis Vilnæ à dictis PP. Prædicatoribus Novogr: alijq; Regularibus ejusdem Civitatis, ac Diœcesis in tumulatione Cadaverum in Ecclesijs Regularium, & propterea malè fuisse apellatũ à prædictis Parochis, & Promotore Fiscali, benè vero judicatum ab eodem R.P.D. A.C. Cincio, ideoq; ejus Sententiam cõfirmandam, & approbandam fore, & esse, prout per præsentes cõfirmamus,& approbamus,& pro Confirmata,& approbata haberi volum9,& mandamus, perpetuumq; silentium de, & super præmissis imponendum fore, & esse, prout imponimus,partemq; victam Victrici in Expensis condemnamus, & ita dicimus, pronunciamus, atq; definitivè Sententiamus non solum &c. sed & omni &c. -- Ita pronunciavi pro R.P.D. meo de Canilliac S.R.A. & Judice Commissario C. *Caprara S. Rotæ Auditor.*

Huic secundæ contrariæ Sententiæ minimè acquiescentes prædicti RR. Parochi, & eorum adhærentes, novam signari curârunt Apellationis Commissionem Nobis præsentatam, de qua in

in Actis &c. cujus ope novô coram Nobis instructo examine super meritis hujus controversiæ, visisq; videndis, auditisq; audiendis, Causam ad S. Rotam detulimus decidendam; quæ RR. Parochis Jura sua deducere negligentibus, favore RR. Religiosorum inclinata perstitit, prout Nos ex recollectis suffragijs sensum publicavimus in præsenti impressa decisione tenoris sequentis, videlicet.

R. P. D. MATTHÆJO,

VILNEN: *Quartæ Funeralis*. Veneris 5. Martij 1751. Quamvis impulsa viriliter, minimè tamen eversa fuit pervetusta illa à solutione Quartæ Funeralis exemptio, qua ex amplissimo Apostolico Privilegio perfruuntur, tùm PP. Inclyti Ordinis Prædicatorum tùm Cæteri omnes Regulares Civitatis Novogrodensis: Quandoquidē incedentibus eisdem Prædicatoribus anno 1729. ad asportandū Cadaver Michaëlis Herbatowski, qui in eorum Ecclesia jusserat sepeliri, Josephus Ponikwicki Parochus, violenter intortitijs abreptis, illud non sine populi scandalo ad suam Parochi-

rochialem Ecclesiam detulit ibiq; tumulavit; Deindè verò in unum convenientes Parochi Sæculares tam Civitatis prædictæ, quam Universæ Diœcesis Vilnensis, quasi acie instructâ, adversùs Regulares omnes ad Judicialem forum petitionem perrexerunt super Quartæ Funeralis solutione à Regularibus omnibus facienda, quoties in Eorum Ecclesijs tumularentur cadavera illorum, qui in eis sepulturam selegissent, juxta quā profectò stetit Officialis Vilnensis Sentētia.

II. Verùm revocato judicato hoc per A.C. in possessorio primùm, deinde in petitorio, non difformè fuit S. Tribunalis Judicium, ut pandit Sententia Rotalis ab R.P.D. Meo de Canilliac edita duabus præeuntibus Decisionibus; sed nōn adhuc acquiescentibus Parochis, novæ Caussæ cognitio cum Mihi commissa fuerit, Dubium de more subsignavi -- *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda,* -- Et in contumaciam Eorumdem, quos non semel monui, Resolutio prodijt -- *Sententiam Rotalem esse Confirmandam.*

III. Arduam enim exemplarem quæ Provinciam assumpsisse Parochos denuò perspectū est;

pro-

propterea quod cum ex Amplissimis Sedis Apostolicæ Privilegijs à solutione Quartæ Funeralis exemptione donati fuerint, tùm PP. Ord: Prædicatorum, tùm Cæteri Regulares Civitatis Novogrodensis, totiusq; Diœcesis Vilnensis, vanum proindè erat contra eos insurgere, ut ad hujusmodi solutionẽ adigerentur, quos Privilegia ipsá immunes reddebant, quemadmodùm agendo de PP. Ordinis Prædicatorum liquet ex Privilegijs san: mem: Martini V. Eugenij IV. Sixti IV. Julij III. & Pauli IV. relatis per Passerinum *de Stat: Homin: quæst:* 187. *á* 4. *n.* 651. *& seq: & n.* 660. *tom:* 2. Severol: *in Alleg: impress: apud Pilaia in addit: ad Iråch: de protest: considerat:* 96. *n.* 19. Murg: *Disquisit: Moral: decis:* 6. Et promiscuè loquendo de alijs Regularibus Bertach: *Vot: decis:* 101. *per totum* Rota *Decis:* 1072. *per totum* coram Coccino: *Et Decis:* 179. *pariter per totum* coram Roxas, *& Decis:* 214. corã Ratt: ferè per totam, *& Decis:* 263. *n.* 3. *par:* 15. *Rec:* Et cõsonant Resolutiones S. Congregationis Episcoporum, & S. Concilij Trid: relatæ per Samuel: *de Sepul: disp:* 4. *contr:* 1*mâ n.* 9. Ursaya *discep:*

Eccles:

Eccles: 28. *tom*: 1. *pag*. 2. *Et discep*: 8. *n*. 27. *& seq*: *& n*.72. *tom*: 2. *par*: 1. Tamburin: *de Jure Abb*: *tom*: 1. *disp*: 15. *par*: 17. *n*. 8.

IV. Perperàm autem in anteacta hujus Caussæ disceptatione præsidium quærebant Parochi, vel à Clementina *Dudùm de Sepult*: quà præscribitur per Regulares etiam præstandā esse Quartā Funeralem Rectoribus Ecclesiarum Parochialiū, vel à Conc: Trid: *cap*: 13. *sess*: 25. *de Reform*: ubi Privilegia Exemptionum Regularibus elargita quò ad id abrogata fuêre. Quoniam semel ac Privilegia, quibus à Summis Pontificibus præditi fuerunt Regulares, aut præmunita dignoscebantur explicita Clausula ejusdem Clementinæ derogatoria, aut sub alijs generalibus amplissimis formulis per equipollens ejus continebatur derogatio, statim sequebatur ex Censura Clement: *Dudùm* Regularis Viln: Diœcesis haud cogi posse ad hujusmodi Quartæ solutionem, ut firmant præcedentes Decisiones *R. P. D* mei Canilliac, prima scilicet 6. Junij 1749. & secunda 23. Januarij 1750. utrobiq; §. 2. Tridentina verò Synodus non omnia abstulit Regularium

um exemptiva Privilegia circa Quartæ Funeralis solutionem, sed duntaxat ea, quæ obtenta fuissent à Regularibus illis, qui per 40. annos ante Concilij publicationem Quartam hanc solvere consveviſſent,& quæ elargita viderentur intrà prædictum tempus, nimirùm ab annis 40. citrà ante illius publicationem, ut præter auctoritates adductas in prima Decisione §. 2. firmant Quarāta *in Sum: Bull. Verb: Privileg: Regular*:Severol: *d. allegat: apud Iranch: de protest: in addit: ad considerat*:96. *n* 23. *&* 37. ubi referuntur Decisiones S. hujus Tribunalis favore Patrum Prædicatorum editæ, & consonat Rota *Decis*:214.*n.* 6. coram Ratt: *Et Decis*: 263. *n.* 10. *par*:15. *Recen*: Unde cum Privilegia, de quibus differitur longè ante Concilium eisdem Regularibus concessa appareant, ut pro nūquàm in discrimē extitit, revocatū nec Parochos doctū unquā fuerit, Regulares istos per 40. annos ante Laudatam Synodum Quartam Funeralem persolvisse, in necessarium descendit consequens, in suo robore omninò persistere eadem exemptiva Privilegia, ut firmant præcedentes Decisiones hujus causæ utrobiq; dicto §. 2.

V.

V. Difficultatem hanc noſcentes Parochi Vilnen: utq; quadragenariam iſtam exactionem oſtenderent, in præcedenti Inſtantia quatuor adduxerunt Teſtes firmiter repetitos, verùm meritô probatio hæc rejecta tunc fuit, tùm quia illorum Examen peractum noſcebatur coram Judice à Regularibus recuſato, tùm quia ex illo evincebatur, tantùm Parochos prætenſionem aliàs excitâſſe contra Regulares ſuper exactione Quartæ Funeralis non autem eruitur, iſtos effectivè per id tempus antè Concilium ſolvere ſveviſſe, illosq; reſpectivè exegiſſe. Multùm autem differt prætenſio exigendi à vera, & reali exactione. Hac igitur non probata, jure dictum fuit, conciliarem legem locum ſibi non vindicare, ut communiſſimè tradunt Samuel: *de Sepult: diſp:* 4. *Controv: prima n.*26. Anaclet: in Jus Canon: *l.* 3. *tit:* 28. §. 2. *n.* 56. *in fin:* Fragoſ: *de Regim: Reip: p.*3.*lib:*5.*diſp:*8.§.17. *n.*570.*verſ: Hoc autẽ.*

VI. Videntes tamen Parochi, quod iſtorũ Jurium præſidio in auras prorsùs abibat eorum ideata prætenſio arbitrati fuerunt in eiſdem præcedentibus propoſitionibus, fundamentũ quærere

rere à quadam Epiſtola Paſtorali edita an: 1607. à cl:mem:Cardinali Maciejowſki Archi-Epiſcopo Gneſnenſi inſerta in Provinciali Synodo celebrata anno 1628. ſed meritò minus habens reperta fuit hæc quoquè Epiſtola: nam primariò exſcripta non videbatur Regularibus, ſed quidẽ --*Archi-Præsbyteris, Plebanis, & alijs quibuscumquè curam animarum habentibus*. Unde diſpoſita in ea ad Regulares extendenda non erant. Rursùs majoris ponderis viſa non fuerunt illa alia ejuſdẽ Epiſtolæ verba: *Quarta Funeralium juxtà SS. Canones, & Conſtitutiones Synodi Salva, & integra maneat Parochiali Defuncti Eccleſiæ, ubicumquè tandem extrà illam electione etiam ſua ſepeliatur* - - Quoniam poſita Regularium exemptione ex Apoſtolicò Privilegio derivante eo ipſo, quod Epiſtola Paſtoralis Quartam Funeralem ſalvâ fore præſcripſit --*juxta SS. Canones* -- Hæc profectò verba innuere videntur, atq; ita intelligenda ſunt, ut præſervare voluerit exemptiones illas, tùm in Corpore Juris Canonici Clauſas, tùm alias ex Apoſtolicis Conſtitutionibus promanantes, cum Verbũ *Canon* in latiori ſua ſignificatione ſumptum contineat

tineat

tineat Constitutiones quoquè Summorum Pontificum, ad firmata in prima Decisione præcedentis Instantiæ §. 6. Et in 2da §. 4. Et habetur ex præstantissima auctoritate SS. D. N. feliciter regnantis in suo disertissimo Tractatu de Synodo Diœcesana *l.* 1. *c.* 3. *n.* 3.

VII. Cæterum si quæ, his non obstantibus, dubietas aliqua superesset, maximoperè faveret Regularibus pro Illorum non comprehensione in eadem Epistola defectus voluntatis ipsius Cardinalis. Siquidem quemadmodùm in ipso deerat potestas abrogandi Apostolica Privilegia Regularium, ita dicendum omnino est, ejus voluntatis non fuisse, illos includendi sub edita lege, dum à potestate voluntas semper metienda est, ad firmata per Rotam *Decis*:812. *n.*39. coram Molin: *Et Decis*: 30. *n.* 18. *tit*: *de Usur*: *Et Decis*: 9. *n.*6. *tit*: *de Salv*: coram Falcon: Aliàs enim actus hic imprudens fuisset, & reprehensione dignus. Id quod minimè sentiendum est, propterea quod semper interpretatio fieri debet, ne quilibet actus censeatur imprudens. *Juxtà Text*: *in Leg*: *Quoties ff*:*de reb*:*dub*:Cravett:*cons*:33.*n.* 10. *& cons*: 603.

603. *n.* 3. Surd: *conſ*: 294. *n.* 28. Menoch: *de Arbitr*: *caſ*: 199. *n.* 23. Cancer: *Var*:*Reſol*:*par*: 3. *cap*: 7. *n.* 195. Rota *Deciſ*: 4. *n.* 7. *tit*: *de Statut*: *excluſ*:*Fœmin*: coram Falconer: Fortiùs quando, prout in Caſu, à Viro prudente,& præſertim à Perſona Cardinalitiæ Dignitatis honore decoratà, actus deprehenditur geſtus, ut in puncto dixit Rolan: *Conſ*: 134. *n.* 10. *lib*: 4. Surd: *Conſ*: 203. *n.* 35. Menoch: *conſ*: 55. *n.* 22. Et Rota *deciſ*:4. *n.* 6. *&* 8. coram Falcon:

VIII. Adſtipulatur quoquè evidens demonſtratio apprimè oſtendens mentem tùm Cardinalis, tùm Patrum Concilij Provincialis, alienā prorsùs fuiſſe, quid minimum ſtatuere contrà Conſtitutiones Apoſtolicas à ſolutione Quartæ Funeralis eximentes Regulares. Quod enim attinet ad Cardinalis mentem, certum eſt in facto, eumdem in alia Provinciali Synodo ipſomet anno 1607 celebrata, quo memoratam edidit Epiſtolam, præcepiſſe ut Conſtitutiones Synodorum antecedentium colligerentur in unum atq; obſervarentur, adjectâ tamen limitatione -- *Quæ ſint conſentanea, nec repugnent Sacroſancti Concilij Decretis,*

 cretis,

cretis, Sacrisq; Canonibus, aut Constitutionibus Apostolicis -- Si igitur summo studio præservatas ibi voluit Dispositiones in Constitutionibus Apostolicis contentas, nullo pacto censeri potest, ipsum in prædicta Epistola, paucos post dies evulgata, voluisse contra easdem Constitutiones hanc quoquè Regularium exemptionẽ evertere quod nec facere potuisset. Quò verò ad mentem Patrũ Concilij Provincialis anni 1628. in quo Pastoralis Epistola ipsius Cardinalis inserta fuit, cum illi præmiserint, in ea nil aliud contineri quàm quod per Canones, & S. Concilium Trid: Statutum reperiebatur, evidens utiquè est, quod neque Cõcilium prædictum unquam intellexerit, Regulares omnes indistinctè ad solutionem Quartæ Funeralis adigere, cum id indubiè fuisset, tàm contra Concilij Tridentini, quam contra Constitutiones Apostolicas, sicut dixit secunda hujus Causæ Decisio §. 6.

IX. Perperàm idcircò, his in facto firmiter manentibus, opponerent Parochi, enunciată Synodum evulgatam anno 1628. à s. mem. Urbano VIII. confirmatam fuisse, cum explicita menti-

one

one etiam Regularium, quibus injungebatur observantia Constitutionum Synodalium eodem fermè modo, quo præscripta extitit alijs Ecclesiasticis Sæcularibus, adeò ut dubiũ esse nõ videatur, quin circà solutionem Quartæ Funeralis Constitutiones prædictæ Synodales omninò afficerent & Regulares. Hæc enim difficultas eliminata quoquè fuit ex eo, quod cum in Confirmatione Apostolica Urbani VIII. nulla mentio facta fuerit Privilegiorum, quibus Regulares fruebantur, propterea Apostolica Auctoritas extendi non valet ad læsionem eorumdem, sed duntaxat verificatur circà alià, quæ ex Synodo ipsa Regulares observare tenebantur; dum quælibet Confirmatio amplissimis etiam concepta verbis, robur solummodò actui confirmato, sed illum in suis relinquit terminis, absq; ulla nec minima extensione, quemadmodùm ultrà auctoritates relatas in Decisionibus præcedentibus, in Prima scilicet §. *Absquè*, & in secunda §. Prodixit Rota *in Nepesina*, *Præstationis Vecturarum quoad frumentum molituræ*, 7. *Julij* 1748. § *Irritò* corã Me.

X. Hinc est, quod quemadmodum in Synodo

do Provinciali non solùm statuta fuerit Lex Quartæ Funeralis solutionem respiciens, sed alia insuper afficientia quoq; Regulares, prout inter Cætera, Capitulum aderat de Istis specialiter loquens, in quo monebantur ad Observātiam tū Clementinæ *Religiosi de Privileg:* loquentis de administratione Sacramentorū, tū S. Conc: Trid: & Cōstitutionū Apostolicarū, ita Regulariū mentio in Brevi Confirmatorio adjecta intelligenda profectò erat relativè ad Synodales Dispositiones, de ipsis loquentes, non verò quo ad eversionem illorum Privilegiorum circà solutionem Quartæ Funeralis, de quibus nil actum fuerit in ipsa Synodo, sicuti ponderat Prima Decisio §. *Nec Majus*. Et secunda §. *Eoquè*. Et quamvis hujusmodi Breve generalem observantiam Costitutionum Synodalium præcipiat Regularibus cum verbis illis - - *In omnibus, & per omnia* - - quia tamen ibi Summus Pontifex de Regularibus duntaxat non loquitur, sed promiscuè de Regularibus, & Sæcularibus, hinc verba prædicta distributivè accipienda sunt, congrua nimirùm congruis referendo; ità quidem, ut in omnibus, & per omnia Regula-

gulares observare teneantur Constitutiones illas Synodales, quæ ipsos afficiunt, itemquè ad id ipsum adigantur Sæculares, non verò quod omnia omnibus indistinctè præcepta censeantur, ut præter adductos in Secunda Decisione §. *Sedulò* præcipit *Text: in Leg: si negotium. ff: de negot: gest*: Et *Leg: Quæstionem* ubi Angel: *Cod: de fidei com*: Surd: *cons*: 336. *n*. 20. Gratia. *Discept*: 230. *n*. 3. Rota *Decis*: 581. *n*. 33. corã Caval: & *Decis*: 847. *n*. 12. coram Ansaldo.

XI. Firmô itaq; manente, quod in Constitutionibus Synodalibus nulla mentio, facta videatur quo ad solutionem Quartæ Funeralis, relativè ad Regulares, quodq; illas per subsecutã Confirmationem, nec in minimo immutare, sivè extendere voluerit Supremus Pontifex Urban9 VIII. ita ut in suo primævo robore semper permanserint Regularium exemptiones, profectò harum derogatio trahi nequaquam poterit ex illa generali, & consveta Clausula, quæ in fine Literarum Apostolicarum apponi solet, nempe -- *Non obstantibus quibuscumq;*. Quia pro effectu prædicto, aut expressa derogatio requiritur, aut quod saltim

tim Breve Confirmatorium, utpote posterius relativè ad Privilegia prædicta, cum istis contrarietatem involvat. Cumq; in Eo nec derogatio expressa legatur, neq; contrarietas ulla cum antedictis Privilegijs inspiciatur, hinc sine dubio sequitur eamdem Clausulam inefficacem prorsùs esse pro hac prætensa Privilegiorum eversione inducenda, ut loquendo de prima propositione præter Auctoritates allegatas in secunda Decisione §. *Hac autem*, docet Rota *Decis*: 159. *n.* 16. *& seq*: coram Carill, & *Decis*: 676. *n.* 49. coram Molin: Et *Decis*: 5. *n.* 25. *tit*: *de Benef*: Et *Decis*: 1. *n.* 9. *tit*: *de Rescript*: coram Falconerio, Et de secunda propositione agendo, ultrà Auctoritates refertas in Prima Decisione §. *atque*. Adest *Text*: *non ad ea* 88. *ff*: *de Condit*: *& demonstrat*. Et *Leg*: *Ubi Repugnantia ff*: *de Reg*: *Jur*: Rota *Decis*: 74. *n.* 17. Et *Decis*: 767. Et *Decis*: 793 Utrobiq; *n.* 6. corā Cerro, Et *Decis*: 727. *n.* 15. corā Lancetta.

XII. Eoquè magis ab his discedendum non esse putârunt Domini, quia mirificè roborantur à longæva, atq; immota observantia, quæ leges omnes fidelissimè semper interprætatur, & explicat,

cat, juxtà quam habetur, Regulares Universæ Diœcesis Vilnensis obtentis Apostolicis Privilegijs, eos eximentibus à solutione Quartæ, de qua quæritur, illam nunquàm solvisse, neq; ante, neq; post Pastoralem Epistolam, Synodum Diœcesanam, istiusvè Apostolicam Confirmationem, prout irresragabile testimoniũ perhibent Magistratus, Omnesq; Ordines M. D. L. quibus tùm ratione numeri, tùm muneris, & Dignitatis maximoperè deferẽdũ est, licet formiter nõ sint repetiti. Idq; urgentiùs, quia Testes per Parochos allati ausi non sunt de solutione hac testimonium ferre, *ad Text: in Can: Hominis. Vers: Credidimus. distinct:* 97. Rota coram Merlin: *Decis:* 714. *n.* 16 *& seq:* Et *Decis:* 18. *n.* 19. coram Emerix. Et *Decis:* 155. *n.* 5. *par:* 6. Et *Decis:*460.*n.* 13.*par:* 18. *tom:* 2. *Rec:*

XIII. Quin Observantiæ huic obicem ullum præstet, vel clausula sublata, & Decretum irritans, in Brevi Urbano adjecta, vel Lites, diversis temporibus instructæ à Parochis cõtrà Regulares pro solutione hac obtinenda. Quandoquidẽ primæ objectionis pars, quatenùs deduceretur tunc

solùm urgeret, quoties Pastoralis Epistolæ, Constitutionum Synodalium, aut Brevis Cōfirmatorij clara, & incavillabilis Litera præscriberet id, quod postmodùm contrà observatum fuisset. Secùs tamen, quando prout hic, observātia non solutionis consentanea est omnibus supradictis monumentis; itidemq; altera pars objectionis æquè statim rueret, nam quamvis sub annos 1705. & 1717. judicialiter Parochi petierint Quartam Funeralem à Regularibus, attamen forsan de eorum malo Jure edocti, instructas Lites penitùs deseruerunt, atq; acquieverunt. Adeoq; tantū abest, quod observantia prædicta ex instructis Litibus interversa dici valeat: quinimò cum successivè Parochi siluerint, & respectivè Regulares continuaverint in eorum vetusta possessione non solvendi, majorem proinde vim, atq; robur observantia præfata conquisivit, prout solidè firmat secunda Decisio §. *Minimè*.

Et ita relatione habitâ ad præcedentes Decisiones resolutum fuit unica &c.

Hanc autem Decisionem controvertere, & impugnare ampliùs non curantes prædicti RR. Parochi,

rochi; & Clerus, motivum dedit breviori Cursui, & terminationi Causæ *mediante tertiâ Uniformi Sententiâ*, quam nos infrascripta die ad Instantiam, & favorem sæpè dictorum RR. PP. Prædicatorum Novogroden: aliorumq; Regularium Civitatis, & Diœcesis Vilnæ, prævió tamen alio Rotali Rescripto demandante Causæ expeditionem, ac servatis servandis, citatisq; citandis tulimus, & promulgavimus hujusmodi sub tenore, nempe.

CHRISTI Nomine Invocatô.

PRo Tribunali sedentes, & solùm Deum præ oculis habentes per hanc Nostram definitivam sententiam, quam de *RR. PP.DD.* Nostrorum Coauditorum consiliô, Votô, & assensu in his scriptis ferimus in Causa, & Causis, quæ primò, & in prima, in Curia Episcopali Vilnæ, secundò, & in secunda coram *R. P. D. A. C.* Cincio, tertiò, & in tertia coram *R.P.D.* Canilliac, quartò, & in quarta, seu alia veriori coram Nobis versæ fuerunt,, & vertuntur Instantia inter *R.D.* Josephum Ponikwicki Parochum

chum Novogrodenſem, alioſq; Parochos, & Clerum Sæcularem Civitatis, ac Diœceſis Vilnæ, nec non *R. D.* Adamum Ancypa Promotorem Fiſcalem Curiæ Epiſcopalis Vilnæ Actores & apellantes ex una, & Ven: Conventum, ac *RR.* Patres Ordinis Prædicatorum Novogrodenſes, alioſq; Regulares ejuſdem Civitatis, ac Diœceſis reos conventos, & apellatos, ex altera partibus, de, & ſuper confirmatione, vel infirmatione ſententiæ Rotalis latæ à *R. P. D.* Canilliac *prævijs duabus Deciſionibus, editis die 6. Junij* 1749. *&* 23. *Januarij* 1750.; quâ declaratum fuit Quartam Funeralem non debere Parocho Novogrodenſi, alijsq; Parochis Civitatis, ac Diœceſis Vilnæ in tumulatione Cadaverum habentium, vel eligentium Sepulturam in Eccleſijs Regularium, rebusq; alijs &c. ad formam Deciſionis coram Nobis editæ die 5. Martij proximè præteriti, *Dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus,* atq; *definitivè ſententiamus* malè fuiſſe apellatũ, à prædictis *RR.* Parochis, & Promotore Fiſcali, benè verò judicatum à *R.P.D.* Canilliac, ideoq; Sententiam Rotalem per Ipſum Latam confirmandam,

dam,

dam, & approbandam fore,& eſſe, prout confirmamus, & approbamus, & pro confirmata, & approbata haberi volumus, & mandamus, perpetuumq; ſilentium de, & ſuper præmiſſis imponendum fore,& eſſe,prout imponimus, Victamq; Partem Victrici in Expenſis condemnamus, quarum taxationem Nobis, vel cui de Jure inpoſterum reſervamus, & ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, atq; definitivè ſententiamus,non ſolum &c. ſed & omni &c. Ita pronuuciavi.

Ego A. Matthæjus Sacræ Rotæ Auditor, & Judex Commiſſarius.

EXorta itaq; *vigore Trium Conformium Sententiarum* in Cauſa Re-Judicata, ad illius executionem devenire cupientes præfati *RR.* Regulares de aliquo Juris opportuno remedio ſibi ipſis provideri à nobis expoſtulârunt; cui Inſtantiæ tanquàm juſtæ, & rationi conſonæ annuentes, præſentes Literas Executoriales ad Ipſorum favorem decrevimus, & relaxavimus, prout decernimus, relaxamus, & extra Curiam Romanam, & ad

ad Partes expediri mandavimus, & mandamus per Præſentes in forma conſveta.

Quocirca Apoſtolica Auctoritate Nobis Commiſsâ, & quâ fungimur in hac parte, *Vos Sereniſſimum, Potentiſſimum, Invictiſſimum Principem, & Poloniæ Regem* ante dictum ad Præſentium Noſtrarum, imò veriùs Apoſtolicarum Literarum fieri permittendam intuitu Juſtitiæ, ob Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obſequium, & reverentiam benignè in Domino hortamur, atq; rogamus. *Vos* verò cæteros omnes, & ſingulos ſupradictos, quibus præſentes Noſtræ Literæ diriguntur, pervenerint, ſeu præſentabuntur, & Veſtrum quemlibet conjunctim, vel diviſim requirimus, & monemus, Vobisq;, & Veſtrum cuilibet in Virtute S. Obedientiæ, & ſubinfraſcriptis Sententiarũ, & Cenſurarum pœnis, per quemlibet contravenientium, ut infrà, & prout tangit incurrendis, ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenùs infrà ſex dierum ſpatium poſt præſentationem, & notificationem præſentium, ac requiſitionem vigore earũdem Vobis, ſeu alteri Veſtrum pro parte dd. *RR. PP.* Ordinis Prædicatorum Principalium

um desuper factam immediate sequen: (quorum sex dierum spatium, duos pro primo, duos pro secundo, ac reliquos duos dies pro tertio, & ultimo peremptorio termino, ac monitione Canonica Vobis, & Vestrum Cuilibet, ita tamen, ut in his exequendis, & respectivè adimplendis Unus Vestrum alium non expectet, nec Unus pro alio, vel per alium se excuset, assignamus:) præcitatas Sententias in rem judicatam transactas demandantes, & definientes prænominatos *RR. PP.* Ordinis Prædicatorum Novogrodenses, aliosq; Regulares Civitatis, ac Diœcesis Vilnæ in tumulatione Cadaverum habentium, vel eligentium Sepulturam in Eorum Ecclesijs non teneri, neq; obligatos esse ad ullam solutionem Quartæ Funeralis, vel Portionis Canonicæ Ecclesiæ, dictosq; proptereà Regulares Civitatis, & Diœcesis Vilnæ absolvendos, & liberandos fore, & esse ab impetitis per Parochos, & ab omnibus, & singulis jactationibus, & molestationibus super prætensa exactione dictæ Quartæ Funeralis absolvendos, & liberandos fore, & esse *exe-*

qua-

quamini, debitæq; & totali *Executioni* demandetis, & ab alijs, quantum in Vobis erit, & opus fuerit in omni, & quocumquè eventu in omnibus suis Partibus, ac juxtà earum seriem, tenorem, & continentiam omnibus vijs Juris, & facti remedijs exequi, & inviolabiliter observari faciatis, & procuretis: prout Nos Auctoritate Apostolicâ prædictâ, & in plenariam executionem Sententiarum, & Rei Judicatæ ita fieri, exequi, & inviolabiliter semper, & quandocumquè observari volumus, & mandamus. Inhibeatis insuper, prout Nos earumdem tenore præsentium, & Auctoritate Apostolicâ prædictâ sub eisdem infrascriptis Sententiarum, & Censurarum pœnis Vobis omnibus, & singulis supràdictis, & generaliter quibusvis alijs cujusvis Statûs, gradûs, Ordinis, & conditionis, & præsertim dd. Reverendis Dominis Parochis Civitatis, & Diœcesis Vilnæ ex adverso Principalibus, omnibusq; alijs, & singulis, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet infuturum, illiq;, & illis pa-

riter,

riter, cui vel quibus, ad quem, vel ad quos Præſentes Noſtræ Literæ diriguntur, pervenerint, ſeu præſentabuntur, nè quominùs omnia, & Singula præmiſſa ad favorem dictorum Reverendorũ Patrum Ordinis Prædicatorum Novogrodenſium Principalium, & Litis conſortium demandata ſuos debitos conſequantur effectus, impedimentum aliquod præſtetis, ſeu præſtent, vel impedientibus, & moleſtantibus ipſos Reverendos Patres Ord: Prædicatorum, cæterosq; Regulares Civitatis, & Diœceſis Vilnæ Principales ſuper præmiſſis in aliquo detis, vel dent auxilium, conſilium, vel favorem ſub quovis prætextu, ingenio, cauſa, aut quæſito colore. Alioquin ſi fortè (quod non credimus) præmiſſa omnia, & ſingula, prout ad Vos & Veſtrum quemlibet ſpectat, & pertinet, non adimpleveritis, ſeu adimpleverint, monitionibus, mandatis, & Inhibitionibus Noſtris hujuſmodi, imò veriùs Apoſtolicis non parueritis, ſeu paruerint cum effectu, aut aliquod in contrarium feceritis, ſeu fecerint, NOS in VOS & Ve-

ſtrum quemlibet, ac ipſos omnes, qui in præmiſſis culpabiles, & inobedientes fuerint, & præſentium executionem quomodolibet impedientes ex nunc, prout ex tunc, & è contrà: ſingulariter in ſingulos dicta ſex dierum Canonicâ monitione præmiſsâ Excommunicationis, in Capitula verò, Conventus, & Collegia quæcumq; in his delinquentia Suſpenſionis à Divinis, in Ipſorum autem delinquẽtium Eccleſias, Monaſteria, & Capellas Interdicti Eccleſiaſtici, & quoad Rmos DD. Supradictorum, & aliorum quorumcumq; Locorum Ordinarios, & Prælatos, Interdicti regreſſus Eccleſiæ tantùm, Sententias ferimus in his ſcriptis, ac etiam promulgavimus. Ad quarum quidẽ Sententiarum, & Cenſurarum incurſus declarationem, aggravationem, & ſucceſſivè reaggravationem, Brachijq; Sæcularis invocationem, aliaq; tam Juris, quam facti remedia in eventum non paritionis, & executionis omnium, & ſingulorum præmiſſorum contrà eoſdem inobedientes debitis dilationibus, congruisq; debitis intervallis præ-

ce-

cedentibus, servatisq; servandis deveniemus, ac deveniri curabimus Justitiâ mediante. Absolutionem verò Nobis, vel Superiori Nostro tantummodò reservamus. In quorum Fidem has Præsentes fieri, & per Notarium Nostrum infrascriptum subscribi, & publicari mandavimus, solitôq; Sigillô jussimus communiri. Datum Romæ ex Palatio Apostolico Quirinali, & in Sacra Rota sub Anno à Nativitate Domini Nostri JESU CHRISTI Millesimô, septingentesimô, Quinquagesimô, primô. Indictione XIV. die verò Trigesima Mensis Aprilis; Pontificatûs autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. BENEDICTI Divinâ Providentiâ Papæ XIV. Anno ejus Undecimo. Præsentibus DD. Cyriacô Blondo, & Vincentiô Cicellio Connotarijs Testibus &c. &c.

(L. S.) *Et quia Ego MARCUS ANTONIUS LOTTI Sacræ Rotæ Capellanus, & Sacri Palatij Apostolici Causarum, & Ejusdem Sa-*

cræ

cræ Rotæ Notarius Administrator Apostolicâ Authoritate Deputatus de præmissis rogatus fui: Ideò hoc Præsens publicum Literarum Executorialium Instrumentum pro Collegio DD. Sacræ Rotæ Notariorum subscribsi, & publicavi requisitus. In Fidem &c.



Bibliothecae RR. PP. Eremitarum Camaldulensium Vigrensium

Biblioteka Jagiellońska
stdr0029852